

patrati quam incepti facinoris reus esse: occidi Cotyn iubet, mortemque sponte sumptam ementitur. nec tamen Caesar placitas semel artes mutavit, sed defuncto Pando, quem sibi infensum Rhescuporis arguebat, Pomponium Flaccum veterem stipendiis et arta cum rege amicitia, eoque accommodatiorem ad fallendum, ob id maxime Moesiae praefecit. (67) Flaccus in Thraciam transgressus per ingentia promissa quamvis ambiguum et scelera sua reputantem perpulit ut praesidia Romana intraret. circumdata hinc regi specie honoris valida manus tribumique et centuriones, monendo, suadendo, et quanto longius abscedebatur, apertiore custodia, postremo gnarum necessitatis in urbem traxere. accusatus in senatu ab uxore Cotyis damnatur, ut procul regno teneretur. Thracia in Rhoemetalcen filium, quem paternis consiliis adversatum constabat, inque liberos Cotyis dividitur; isque nondum adultis Trebellienus Rufus praetura functus datur, qui regnum interim tractaret, exemplo quo maiores M. Lepidum Ptolemaei liberis tutorem in Aegyptum miserant. Rhescuporis Alexandriam devectus, atque illic fugam tentans, an ficto crimine, interficitur. (68) per idem tempus Vonones, quem amotum in Cilicium

1. *coty* cum lin. M. — 3. *padusa* M. — 6. *thraciam* h. l. M. — 8. *hinc regi* in *regi* M. Correxit iam Beroaldus. — *species* M. — 9. Habet *abscedebatur* M. Ante Pichena edebat *abscedebat*. — 10. *cotyis* M. — 13. *inqui* M. — *cotyis* M. — *trebellienus* M. «Incorruptum nominis formam servavit M infra 3, 38. 6, 39.» RITTER. — 15. M. M.: *Marcum* B. — *ptolemei* M. — 16. *temptans* M.

66. *occidi Cotyn*] Vellei. 2, 29. Strabo sive Physconi. — *miserunt*] maxime, ut videtur, propter Seleuci Syriae regis insidias statim post Epiphanis mortem a. u. c. 573. ante Chr. 181. Cfr. Val. Max. 6, 6, 1. ex quo non liquet, quis fuerit Ptolemaeorum. Iustinus 30, 2. et 3. per errorem hanc tutelam ad Epiphanem refert; peius etiam Pighius ad a. u. c. 590. (594. Varr.) Exstat denarius cum capite femini turrito subscripto ALEXANDREA: in parte aversa: M. LEPIDVS. PONT. MAX. TYTOR. REG. S. C. Akerman I. p. 20. cfr. Champollion-Figeac *Annales des Lagides*. Paris. 1819. II. p. 130.

67. *praesidia Romana*] locum, qui esset in Romanorum potestate atque a Romanis militibus occupatus. — *ab uxore Cotyis*] Polemonis regis Ponti et Pythodoridae filia, quam, nomen aequo tamen tacens, memorat Strabo l. I. — *Rhoemetalcen*] huius nominis alterum. Exstat eius nummus: hinc BASILETΩΣ ΠΟΙΜΗΤΑΚΑΣ cum eius capite; illic ΓΑΙΟ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ. cum Caligulae effigie. Visconti *Iconogr. graecae* III. p. 302. — *Trebellienus*] huiusmodi nomina plerumque in *anus*, variis *anus* formantur. ut sunt *Aufidienus*. — *Albanos*]

memoravi, corruptis custodibus effugere ad Armenios, inde in Albanos Heniochosque et consanguineum sibi regem Seytharum conatus est. specie venandi omisis maritimis locis avia saltuum petiit, mox perniciositate equi ad amnem Pyramum contendit, cuius pontes accolae ruperant audita regis fuga: neque vado penetrari poterat. igitur in ripa fluminis a Vibio Frontone praefecto equitum vincitur, mox Remmius evocatus, priori custodiae regis adpositus, quasi per iram, gladio eum transigit. unde maior fides conscientia sceleris et metu indicii mortem Vononi inlatam. (69) At Germanicus Aegypto remeans cuncta quae apud legiones aut urbes iusserat, abolita vel in contrarium versa cognoscit. hinc graves in Pisonem contumeliae; nec minus acerba, quae ab illo in Caesarem tentabantur. dein Piso abire Suria statuit. mox adversa Germanici valitudine detentus, ubi recreatum accepit votaue pro incolumitate solvebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatus, festam Antiochenium plebem per lictores proturbat. tum Seleuciam digreditur, opperientis aegritudinem quae rursus Germanico acciderat. saevam vim morbi agebat persuasio veneni a Pisone accepti; et reperiebantur solo ac partibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones, et

4. *equi edamnem* M. — 7. *adp.* M: *app.* B. — 8. *inl.* M: *ill.* B. — 9. *apud* M. — 12. *tempt.* M. — *Suria* h. l. et infra M. — 15. *degredditur* M. Correxit Lipsius. — *opperiens* M. — 17. *repperiebantur* M.

bant: *conatus est specie venandi. omisis* cet. pro quo I. Fr. Gronovius malebat: *conatus, specie venandi, omisis*. Sed ex Cod. lectione suspenditur aliquantisper lectoris animus curiosi, quomodo tandem evadere conatus sit. — *Pyramum*] amnem Ciliciae campestris, qui sub Mallo in Issicum sinum influit, hodie *Dishoun*. — *praefecto equitum*] id est, alae, ut praefecit sociorum, singularum cohortium sociorum legionibus adiunctarum. Sic accipe Inscr. m. L. 3438. et 3876. Suet. Oct. 38: *Liberis senatorum militiam auspicantibus non tribunatum modo legitimum, sed et praefecturas alarum dedit*. Val. Max. 2, 7, 9. narrans, quomodo L. Piso consul punierit *Equitum, equitum praefectum, turmas equitum, quibus praefuerat, ademptis equis in funditorum alas transcripsit*. — *evocatus*] Dio 45, 12: *τὸ τῶν Ἰουδαίων ἐλασμοὺ μολιβδῶνοι ἀπάς τινας μετὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχοντες, ζώντος τοῦ ἠδῆσσο μὲν νομίζεν ἀφ' οὐ τοὺς συν- εἰρηδῶν*. Aut mera terricula haec erant

69. *dein*] Sine causa Lipsius ante hoc v. excidisse aliquid, Acidalius demique legendum opinabatur. Recte Walther: *est ἐξ αὐτοῦ, darauf, ensuite*. — *admotas*] usurpabant *adductas, attractas*, quia sponte sua hostias adisse ad altaria simulabant. — *festam*] laeto habitu et candidatam. Horat. C. 3, 18, 11: *festus pagus*. Lips.

— *proturbat*] repellit ideoque dissipat, vi adhibita. Sic 2, 11: *collectos proturbant*. — *Seleuciam*] eam, quae Pieria cognominabatur. Nam in litore maris erat, parabatque navigationem Pise; tum etiam haud procul Antiochia, unde veniebat. Lips. — *aegritudinem*] aegritudinis eventum. — *erutae*] e sepulcris. DUBN. — *reliquiae*] Dio 57, 18: *ὄσα γὰρ ἀνθρώπων ἐν τῇ οἰκίᾳ ἐν ἧ ᾧκει κατοροῦν μένα, καὶ ἐλασμοὺ μολιβδῶνοι ἀπάς τινας μετὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχοντες, ζώντος τοῦ εἰρηδῶν*. Aut mera terricula haec erant

nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres ac tabe oblitū, aliaque maleficia quis creditur animas numinibus infernis sacrari. simul missi a Pisone incusabantur ut valitudinis adversa rimantes: (70) ea Germanico haud minus ira quam per metum accepta. si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miserimae coniungi, quid infantibus liberis eventurum? lenta videri veneficia: festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat. sed non usque eo defectum Germanicum, neque praemia caedis apud interfectorem mansura. componit epistulas quis amicitiam ei renuntiabat. addunt plerique iussum provincia decedere. nec Piso moratus ultra navis solvit; moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Suriam aperuisset. (71) Caesar paulisper ad spem erectus, dein fesso corpore, ubi finis aderat, adstantes amicos in hunc modum adloquitur: (si fato concederem, iustus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus liberis patriae intra iuventam praematuro exitu raperent. nunc scelere Pisonis et Plancinae interceptus ultimas preces pecto-

4. Habet *tabe* M. Probabilem Lipsii coni. *tabo* receperunt Walther, Ritter, Doederlein. — 2. *malefica* M. Correxerit Beroaldus; *malefica* praefert Bach et Doederlein; sed hoc vocabulo si usus esset Tacitus, ipse agnovisset maleficam talium naturam; scripsit ergo *maleficia*, quibus a superstitionis creditur cet. — 8. *apud* M. — 10. *Piso* ipso M. — *maratus* M. — 11. *qui* M. Correxerit Lipsius. — 13. *ads.* M: *ass.* B.

devoeretur morti. — *plumbeis*] ad magicam defixionem hoc spectat, qua nomen hominis devovendi in pugillaribus aut membranis aut laminis plumbeis exaratum, stillo atroci confodiebatur; ipsi scilicet huic villi metallo vis perniciosa inesse credebatur. Cfr. Ovid. Heroid. 6, 91: Medea *devoet absentes simulacraque cerea fecit*; apud Grut. 19, 6. titulus Tuderiti positus *IOVI O. M. CYSTODI. CONSERVATORI. QVOD. IS. SCCELEROSISSIMI. SERVI. PVBLICI. INFANDO. LATROCINIO. DEFIXA. MONVMENTIS. ORDINE. DECYRIONVM NOMINA. NYMINE. SYO. ERYIT. AC. VINDICAVIT.* cfr. Appul. Met. 3, 17. p. 182. Hild. (v. supra ad C. 30.) — *semusti cineres*] hoc est, semusta ossa, intellegit membra cadaverum ex igne rapta, antequam comburentur, hinc tabo oblitā. WALTH. An potius semusta in cinerem ligna sive titiones significantur? Nam caprifici et cupressi adurebantur in fascinando. Horat. Epod. 5,

70. *ira quam per metum*] ut solet, variat constructionem. — *renuntiabat*] Hoc spectavit Germanicus, ne limen obsideretur, ne pasceret oculos inimici, si quid sibi accideret; ne coniux et liberi essent in eius ditone; denique, ut e vicinia hominem abigeret. Et intellexit Piso, sive adiectum fuit, decederet provincia, sive

ribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus miserimam vitam pessima morte finierim. si quos spes meae, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat, inlacrimabant quondam florentem et tot bellorum superstitem muliebri fraude cecidisse. erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges, non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed quae voluerit, meminisse, quae mandaverit, exsequi, flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. ostendite populo Romano divi Augusti neptem eandemque coniugem meam; numerate sex liberos. misericordia cum accusantibus erit; fingentibusque scelestamanda aut non credent homines aut non ignoscent.» iuravere amici, dextram morientis contingentes, spiritum ante quam ultionem amissuros. (72) tum ad uxorem versus per memoriam sui, per communes liberos oravit, exueret ferociam, saevienti fortunae submitteret animum, ne regressa in urbem aemulatione potentiae validiores iritaret. haec palam, et alia secreto, per quae ostendere credebatur metum ex Tiberio. neque

4. *fatri* M. — *accerb.* M. — 3. *propinquos* M. — 4. *inl.* M: *ill.* B. — 5. *superstitem* M. — 6. *apud* M. — 7. *quaestu* M. — 15. *exsueret* M. — *saevienti* M. — *summ.* M. — 16. *irr.* B. — 17. *ostender* M.

distinguit Tacitus.) Cfr. Ann. 6, 29: *Morem fuisse maioricus, quotiens dirimerent amicitias, interdicerere domo eumque finem gratiae ponere.* Plin. H. N. 9, 57: *M. Lollius interdicit amicitia a Caio Caesare Augusto filio venenum bibit.* Efficacius etiam dicebant inimicitias denuntiare, ut Cic. Phil. 5, 7. Seneca Ep. 76. — *moderabaturque*] quae h. l. commode capias adversative pro sed. ERN. Adversandi vis non inest in coniunctione, sed in ipsa verbi notione. Ritterer. — *propius*] Lipsius *propertus* dubitanter suspicabatur, neque vero hoc necessarium; est magis e propinquo, *αἰάλλων ἐγγύθεν.* — *aperuisset*] non alii praesidi, ut quidam trati sunt; sed: *esi* tutum sibi met ipsi in Syriam regressum concessisset.»

71. *parentibus*] Tiberio atque Antoniae, etiam tunc superstiti; de qua sola quidem interpretatur Ernestius. — *interceptus*] abreptus, morti datus, *frappé* Burnouf. —

ad ultionem non memorat. — *quos invidia*] est illud Horatianum C. 3, 24, 31: *Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi.* — *bellorum superstitem*] eadem constr. Agric. 3: *pauci, ut ita dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites.* — *sex liberos*] 1) *Nero Caesar* † 784. Ann. 4, 59. 60. 5, 3. 4. 2) *Drusus Caesar* † 786. Ann. 4, 60. 6, 23. 24. Suet. Cal. 7. 8. 3) *Caius Caesar* Calligula. 4) *Agrippina Claudii, mater Neronis.* 5) *Drusilla, cui Caligula templa constituit ac publivaria.* Sen. Cons. ad Polyb. 36. *Consecratae Panthaeae nomen decrevit.* 6) *Iulia* (Livilla Suet. Cal. 7.) a. u. c. 794. a Claudio patruo Messalinae instinctu praetextu adulterii cum Seneca in exilium pulsata ac paulo post occisa est. Dio 60, 8. Suet. Claud. 29. — *cum accusantibus*] non, ut alias assolet, cum reis. — *scelestamanda*] Tiberii ac Liviae. 72. *ferociam*] cfr. 1, 33: *Agrippina paulo commotior.* 3, 1: *violenta luctu.*